



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim
Consideratum

Gibert, Jean-Pierre

Coloniæ Allobrogum, 1735

Quæst. II. De Paganis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)

dicere in accusatione Criminis, cuius particeps est, ad ceteros concios quoslibet extenditur.

Regula I. Quæst. VI. de Consecutionibus Judicii Simonie, pertinet etiam ad *Questionem IV.* nam infamia una est è pœnis Simonie, omiſſa in *Quæst. IV.* Idem est de *Tertia*, quæ loquitur de Restitutione pecunie acceptæ, ejusque applicatione ad Ecclesiam; nam pœnis annumeratur. *Secunda* pertinet ad effectus Simonie. In hac dicitur, Ordinationem à Simoniacofactam, quamvis ipsa Simonica non sit, nocere ei, qui Ordines accipit. *Quarta* indicat Textus agentes de Premiis, quæ Simoniacorum Delatoribus debentur.

Agens de Remediis Subsidiariis accusationi Simonie, omittit Denunciationem, quæ in eâ locum habet, perinde atque Corruptio secreta, Inquisitio & Purgatio, quas commemorat.

OBSERVATIONES in CAPUT XVII. de HÆRESI generatim consideratâ.

Autor principio Criminis hujus accusationem purgat, refellendo objectionem, quæ dicitur, *Malos ad bonum cogendos non esse*, multosque Textus CAUS. XXIII. QUÆST. IV. & V. contrarium probantes laudat. Hanc objectionem neglexit, cum de reliquorum Criminum accusatione ageret, hujus discriminis rationem afferre debuisset.

Tum dicit, accusationem hanc esse privilegiam. Adde debuisse, cur putavit sufficere laudationem Textus id probantis.

QUÆSTIO III.

QUÆST. III. de Causis hujus Judicii, in fronte collocat Hæresim, de quâ nemo unquam generatim postulat, sed tantum de aliquo errore verbo generali *Hæreseos* designato. Quoad hujus Definitionem, remittit ad plures Textus, quos laudat; satis fuisse de iis deduci Definitionem, quæ conditionibus omnibus accuratè Definitionis satisfaceret; & deinde referri aliquot è Casibus in Jure commemoratis, quibus illa conveniret: sic cognovisset plures ex iis, quos colligit, ad Hæresim non pertinere: tales sunt, v. gr. quotquot Apostasiam spectant, CAUS. II. XVIII. XIX. tales etiam ii, qui pertinent ad Schisma, CAUS. X. & XI. talis est etiam Casus Simonie CAUS. XVII. talis ille, quo Episcopus Hæreticum heredem instituit, CAUS. XXI. Inde enim inferri potest solum imprudens benevolentia in Hæreticum, si aliunde appareat Episcopum Doctrinâ, Moribusque esse Catholicum.

CAUSA VIII. falsa est, Hæreticum quippe non est arbitrari, VIRGINEM MARIAM in Peccato Originali conceptam fuisse; nulla est enim Definitio infallibilis, quæ contrarium statuat; imò impossibile videtur ejusmodi Definitionem fieri, cum nullum ejus sit fundamentum sufficiens in Scripturis neque in Traditione.

CAUSA XX. expositione indiget; nam *Cap. 5. de Hæret.* sumptum à Concilio Africano, non dicit, Episcopum, qui Hæreticum heredem instituit, esse Hæreticum, sed tantum eum excommunicari debere, Nomenque ipsius inter Dei Sacerdotes non esse recitandum. Circa *Exceptionem I.* observandum est, mortem non extinguere crimen Hæreseos, & proinde, eum, qui moritur in Hæresi, Hæreticorum pœnis affici, nisi priusquam moreretur, signa pœnitentiæ dederit, & casus improvisus eum absolutione privaverit. *Exceptio II.* docet, Hæreticum relapsum (qualis est is, qui post pœnitentiam in Hæresim relabatur) puniri tanquam si in Hæresi decessisset, & quamvis Sacramenta antè mortem acceperit, privari omnibus Bonis Spiritualibus, quibus privantur in Hæresi morientes. Hic rigor non obtinet extrâ Regiones INQUISITIONI subditas.

QUÆSTIO IV.

QUÆSTIO IV. continetur in *Tertia*: quotquot enim ceciderint in unum è Casibus, de quibus loquitur, Hæretici reputantur, & consequenter, Hæreseos accusari possunt: itaque, generatim, circa hanc Quæstionem, dicendum, accusationem Hæreseos habere locum ad-

versus omnes, qui Hæresi participant; tales sunt præcipuè ii, de quibus loquuntur *Quinque REGULÆ* Questionis. Accusatio hæc non viget in Locis, ubi Hæresis toleratur.

QUÆSTIO V.

Hic de Inquisitione & Accusatione promiscuè agitur, & quæritur, ad quem pertinent, & coram quo fieri hæc debeat. Id insinuare videtur, Inquisitionem ad alium pertinere, quam ad Judicem Inquisitionis; unus tamen atque idem Judex est, ut probant *Regulæ Tres*, quæ docent, Judicem Ecclesiasticum esse Judicem Inquisitionis; Judicium hoc, pertinere ad Episcopum modo Quadraginta annos exceſſerit; nullam esse hoc in Capite exemptionem; Inquisitores à Pontifice deputatos jus habere Episcopo assistendi, modò annos XL. compleverint; si Ordinarius hæreseos suspectus sit, notionem ad Pontificem reservari.

QUÆSTIO VI.

In *Regula I. QUÆSTIONIS VI. de pœnis Hæreseos*, dicitur, Schisma severius quam Hæresim puniri, laudaturque, ad id probandum, *Can. 21. CAUS. XXIV. QUÆST. I. S. AUGUSTINUS* idem disertè dicit, atque offendit exemplis è Scripturâ Sacrà desumptis, nempe ab *Exoni* *Cap. XXII.* ubi adoratio Vituli aurei, quæ, ratione habitâ Beneficiorum ingentium ab Israël acceptorum & expectatorum, atrocissima erat Idololatria, punitur solum ut peccatum grave; à *JEREMIA Cap. XXVI.* ubi combustio Libri Prophetiarum *Jeremie*, punitur bello & longâ captivitate; & à *Cap. XVI. NUMER.* ubi Schisma *CORE, DATAN & ABIRON*, contra *MOYSEM*, ita punitur, 1. Abforpti sunt tres Rebelles. 2. Tum consumptione per ignem cælestem, omnes qui eis adhæserant.

Regula II. attentione digna est, in eo, quòd dicit, Hæresim durius in Religiosis, quam in Laicis prohiberi: sumpta est è *Cap. 8. de Hæret. in 6. §. ult.*

Eandem attentionem meretur *Reg. III.* ferens, Hæreticos morte afficiendos non esse. Per illam exponenda est *Septima*, dicens, Hæreticos Excommunicatos tradi Judici Seculari, prout ipsi liberit, puniendos. *Octava Regulam* utramque confirmat, aliam non statuens pœnam in Hæreticos pertinaces, quam carcerem perpetuum.

Regula IV. & V. conveniunt in eo, quòd ferant, Relapsum per abjuracionem, gravius puniendum esse, quam Hæreticum, qui nunquam abjuravit. Juxta *Quartam* is, qui abjuravit, ob levem contra se præsumptionem, non est Relapsus: talis censetur is, qui ad Hæresim rediit, factâ ob gravem præsumptionem vel convictionem abjuracione: *Quinta* de Relapso post hanc ultimam abjuracionem loquens, inter Relapsos numerat eos, qui, postquam sic abjuraverint, cum Hæreticis communicant.

QUÆSTIO VII.

Autor loquens in hac *Quæstione* de Solemnitatibus, sive procedendi formâ in Judiciis contra Hæreticos, & de aliis rebus adjunctis, eas eligere debuisset, quæ ipsis sunt Peculiares; (hoc præstitum fuit in expositione *DECALOGI* per Textus Juris). Saltem monere debuisset, quid huic Judiciis sit peculiare, idque à rebus, cum aliis Judiciis Communibus, segregare.

Multæ præterea *Regulæ* indicant solum Textus, in quibus de argumento agitur.

Huic Judiciis speciale non est, ut Reus in carcerem mittatur, custodiatur, Ministri jusjurandum præstent, Contumax pro convicto habeatur, Testimonium Excommunicatorum & Conciorum admittatur, nihil per studium gerant Judices, creditâ sibi potestate non abutantur, de rebus tantum sibi competentibus fatagant, Judex Secularis Ecclesiasticum Judicem adjuvet: hæc tamen magnam partem Regularum implent.

Regula III. continet *Quintam*; nam depositiones Testium, quas hæc revelari vetat, sunt pars Processus, quem